

## **Antiqvae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

XII. Qvomodo Seqventi Die Stetinam intrauerit & prædicauerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](#)

**QVOMODO SE QVENTI DIE**  
*Stetinam intrauerit & pradica-  
 uerit.*

XII.

**T**AET ergo pax Episcopus cum eis reuersus  
 crastina die omnibus se comitantibus viam c-  
 andem ingrediuntur, ascensaq; naui prospe-  
 ris flatibus, Stetinam sunt aduecti. Homines  
 autem de ciuitate inter se diuiserunt, alijs adhuc in fide  
 manentibus, alijs vero ex maiori parte ad paganisum  
 reuersis. Fuit autem basilica ante introitum ciuitatis in a-  
 rea spaciofa, quam ipse in priori profectione dedicauerat.  
 Quam ingressi hospitari cœperunt, fideles itaq; de aduen-  
 tu Episcopi gaudebant, infideles turbabantur. Præ omni-  
 bus vero nefandi sacerdotes furere & furorem ----- ex-  
 citare, adeo ut collecta manu armatorum, Ecclesiam vni-  
 diq; cingerent, & insanis tumultibus debacchantes adem  
 ipsam conuellendam & omnes qui erant ibi vna cum ma-  
 gistro interficiendos clamitarent. Episcopus itaq; marty-  
 rij auditus, pontificalibus se induens, arma sua, CRYCEM  
 tollit & reliquias, psalmosq; ac hymnos cum clericis per-  
 sonans, agonem suum domino commendabat. Barbari  
 vero auditio cantu mirati sunt valde, quod quasi in arti-  
 culo mortis positi cantare potuissent. Et auscultantes mu-  
 tuoq; se respicientes, virtute ut pote verborum incantati,  
 clementius se habere cœperunt, & iam non vitibus sed  
 magistracione opus esse dicebant, ad talia recipienda, vel  
 etiam propulsanda. Deinde sapientiores quiq; super his  
 rebus ipsos sacerdotes secretius conueniunt, ipsorum esse  
 dicentes cognitis rationibus religionem suam defendere.  
 Taliā inter se missitantes paulatim ad sua digrediuntur.

*Erat*

Etat autem sexta feria & Episcopus cum suis illa die sabba-  
toq; ieunijs & orationibus sacrifq; meditationibus usq; in  
diem dominicam intentius operam dabant,

**D E V I T S T A C O Q V O M O-**  
*do à vinculis sit erexitus.*

**N**TEREA ciuis quidam nobilis eiusdem ciui-  
tatis VITSTACVS nomine, in conuentu po-  
puli, in plateis, & domibus, ybicunq; & quādo-  
cunq; facultas data est, regnum Dei & fidem  
prædicare non desit, Christianas traditiones & omnia  
documenta Episcopi sana & sancta & veritatis plena con-  
testans. hic etenim non longe ante aduentum piissimi OT-  
TONIS cum alijs conciuibus suis piraticam cōtra paganos  
exercendo dum incautius ageret, in hostes inciderat, mul-  
tisq; ibi trucidatis cum alijs vitæ relictis in captiuitatem  
ductus fuerat. Cumq; ferro & catenis & tenebrosi carce-  
ris custodia clauderetur, orando ad dominum permerita  
Episcopi liberatus fuit. Nempe cum diurna oratione  
fatigatus in somnum resolutus esset, Episcopum OTTO-  
NIM qui eum baptizauerat & de sacro fonte leuauerat, si-  
bi assistentem videbat. Quem dum ille cognosceret, rogar-  
iterum & genua flestit pro erectione. Atille, Ad hoc, in-  
quit, veni, sed tu liberatus ea quæ Stetinensibus man-  
do, ferre non dubites. Et mox datis mandati verbis, & si-  
gno crucis ad eum facto, captiuum exire iubet. Expergefa-  
etus homo de visu laxatur, mouet gressum, effectum pro-  
bat visionis. Et ecce catenæ omnes & vincula soluebantur,  
progreditur ad ostium, & carcer apertus erat. Sentit ergo  
virtutem adesse diuinam altūq; suspirans gratias agit om-

Kkk 3 nipo-